

quod nolumus expoliari, sed super indui. Provenit ex eo, quod est oleum exequium; ex eo, quod est unctio postrema, & ultimum remedium, quo Ecclesia juvat fideles. Propinquitas mortis naturaliter contristat. *Omnium enim terribilium terribilior est mors.* Unde, cum noscant fideles nuntium extremæ unctionis esse nuntium propinquæ mortis, contristantur, timent, & formidant naturaliter. Ea vera causa, inter alias, differentie, quin socordia Parochorum adeo vocitur. Suscipere lætenter nuntium mortis non est opus nature, sed gratiæ; imo gratiæ valde specialis. Nec est negotium principale liberæ mori, sed bene mori.

21. Perhibeat testimonium huic veritati pavor animæ S. Hilarionis, quæ post septuaginta annos, in quibus Christo servivit, adhuc timebat e corpore egredi. Præbeat etiam mors illius venerabilis Dominicanæ Thauleri, adeo pavida, ut pavidos de sua salute adstantes relinqueret. Ego met ipse fateor, me trepidare illam ultimam horam, & quo plus eam vicinam considero, tanto amplius pertimesco. Quis non timebit illud Apost. ad Heb. 9. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium?* Quis non trepidabit jam proximum illud momentum, a quo aeternitas?

22. Ex dictis inferitur 1. Infantes, & perpetuo amentes non esse capaces huius sacramenti: quia nullam reliquam peccatorum abstergendam habent. Illis vero, qui aliquando fuerunt compotes usus rationis, ministrari debet, nisi coactet, illum in actuali peccato amisisse. Illis pariter, qui sensibus repente destituuntur, ministrandum est, nisi, ut diximus, in peccato actuali essent sensibus privati. In eodem periculo semel tantum est ministrandum. Verum, si in longa infirmate dubitetur, an ex primo periculo conva-

luerit, & in aliud incidit, potest quam optime iterari. Pariter in dubio, an quis jam mortuus sit, vel adhuc vivat, ministrari debet sub conditione: quia licet sacramenta non sint instituta pro mortuis, quoad dubitetur, an vivat, subveniendum est proximo omni modo possibili. Pueris etiam, de quibus dubitatur usus rationis, ministrari debet sub eadem conditione.

23. Inferitur 2. beatiss. Virg. non recipisse hoc sacramentum; tum quia cum sit completivum poenitentiae, & hanc non receperit sanctissima Virgo, neque ejus completivum suscepisse asseri valet: Tum quia ejus purissima anima non indigebat effectibus extremæ unctionis. Tum quia non constat beat. Virg. mortuam fuisse ex infirmitate; sed potius piissime creditur, in altissima contemplatione, ac extasi elevatam ex impetu, & incendio amoris divini suam sanctissimam animam ex hac mortali vita dulciter transisse ad celestia regna. Quis hoc dubitare valet?

24. Inq. 3. An detur obligatio gravis hoc sacramentum recipiendi? R. Sententiam communem, etiam inter Discipulos D. Thomæ, negare: quia hoc sacramentum, licet sit valde utile, non tamen est necessarium. Nemo autem saltem sub gravi tenetur adhibere media non necessaria ad salutem. Ideo, receptis aliis sacramentis, ac secluso scandalo, & contemptu, non obligat sub gravi ejus receptio; quidquid consuetis proclamationibus quidam de more falsam appellet communem sententiam, quin ad id promat sufficiens fundamentum. Aliud est, quod infirmus illud sponte omittens graviter peccaret, quia vix potest omitti voluntarie sine scandalo, & contemptu interpretativo: his tamen seclusis, hoc sacramentum non est de necessitate salutis, ut ait D. Th. in *Supplem. q. 29. a. 3. ad. 1.*

## TRACTATUS TRIGESIMUS

## DE SACRAMENTO ORDINIS.

**N**Omen ordinis generaliter accipi solet pro partium dispositione, aut pro statuum diversitate. Verum in præsentī tractatu solum accipitur pro quodam gradu ecclesiasticæ Hierarchiæ, & pro sexto novæ legis sacramento.

## CAPUT I.

## De sacramento ordinis in communi.

## PUNCTUM I.

## De prima tonsura.

1. Inq. 1. Quid sit prima tonsura? R. Est dispositio ad ordines recipiendos. Ipsa non est ordo, sed dispositio ad ordines. Unde verba prolata ab Episcopo, & actus tendendi capitis non sunt proprie materia, & forma tonsuræ, sed ceremoniæ præscriptæ ab Ecclesia; sicut etiam candidatum induere superpelliceo. Sic autem appellari illam vestem dicunt aliqui fortasse, quia antiquitus imponebatur pellibus, quibus prisci vestiri consueverunt. Hujusmodi actionibus denotatur in primis tonsuratum mutare statum, discernique a cæteris sæcularibus.

2. Deinde capillorum rescissio indicat, eum debere rescere humanas appetitiones cum omnibus pompis, faustibus, & curis terrenis, ut ab his segregatus valeat in statu clericali Deo servire, & se disporre melius ad ordines recipiendos. Quod significat ipsa vox græca clericus, idest sors, innuens tonsuratum esse dicatum divino cultui absque alia sorte, aut hereditate præter Deum. Insuper tonsuratio capillorum in figura circulari significat, vel coronam Christi spineam, vel status clericalis perfectionem, vel dignitatem regalis Sacerdotii, ad quam disponit tonsura; Dicitur autem prima tonsura, quia præcedit alias, quæ in susceptione ordinum fiunt, ampliando in quolibet ordine capitis coronam.

Thom. II.

3. Inq. 2. Quomodo disponat ad ordines prima tonsura? R. Tripliciter disponere. 1. Per status mutationem; quatenus tonsuram recipiens, transit a statu sæculari ad clericalem, & appropinquat ordinum dignitati. 2. Per majorem instructionem circa res ecclesiasticas: tonsuratus enim, assistens proximis altari, functionibusque ecclesiasticis, disponit ut eas aptius congruo tempore peragendas. 3. Per vitam honestiorem, quam tonsuratus profiteri incipit, animo peculiariter se Deo mancipandi. Qua ratione tonsura merito dicitur se habere ad ordines, sicut novitatus ad professionem. In Jure canonico tonsuratus appellatur *Psalmista*, quia ejus officium est canere Psalmos in choro, vel Ecclesia. Unde Episcopus jubet illi recitare septem Psalmos poenitentiales; ad illos tamen juxta plures non tenetur sub gravi.

4. Inq. 3. Quem finem, seu animum habere debeat tonsuram accipiens? R. Finem ejus unicum, vel saltem principalem debere esse perfectius Deo servire in statu clericali. Si quis illam recipere ex fine, aut animo obtinendi beneficium, vel declinandi forum sæculare, vel deserendi statum clericalem, valida, sed graviter illicita esset ejus tonsura. Nam aliud est tonsuratum deserere suum statum ex aliqua causa, vel etiam mutare animum decursu temporis; aliud accipere statum cum tali animo, in quo nequit non adesse fictio gravis. Unde Trident. *sess. 23. cap. 4. de reform.* severe prohibet prima tonsura initiari illos, qui sacramentum confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciunt, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis iudicis fugiendi fraude, sed, ut Deo fidelem cultum præsentent, hoc vitæ genus elegerisse. Unde, qui confirmatus non est, aut ignorat rudimenta fidei, vel nescit legere, & scribere, aut non accedit animo Deo serviendi, valide, sed illicite, & probabiliter graviter accipit tonsuram: quod de ordinibus mi-

Aa

no

noribus potiori ratione est tenendum.

5. Inq. 4. An prima tonsura causet gratiam; vel producat aliquem effectum? R. Quod cum non sit ordo, sacramentum, nec per se causat gratiam, nec imprimi characterem; per quod differt ab ordinibus. Nihilominus per illam cæremoniam excitari valet tonsuratus ad novum statum ferre prosequendum, & ad perfectius servandum Deo; & sic, si in gratia est, mereri ejus augmentum. Pro foro externo producit tonsura tres effectus, nempe constituere tonsuratum in statu clericali, præbendo ei jus eundi inter alios clericos in functionibus ecclesiasticis, & facere illum capacem beneficii ecclesiastici, & participem triplicis privilegii fori, canonis, & exemptionis a gabellis, vel tributis.

6. Inq. 5. Quid requiratur, ut tonsuratus fruatur hujusmodi privilegiis? R. Quod ut fruatur privilegio canonis, sufficit, quod permaneat in statu clericali, quin redeat ad laicalem per matrimonium, aut alio modo. Ad fruendum vero privilegio fori requiritur, vel quod sit ordinatus in sacris, vel quod beneficium ecclesiasticum habeat, vel saltem portet tonsuram, & habitum clericalem, & quod alicui Ecclesiæ sit adscriptus, & serviat ex mandato Episcopi, vel studii vacet in aliqua universitate. Nota, perpetrante duo homicidia privari privilegio fori, & canonis ex constit. *Alias*, a Bened. XIV. edita 24. Janura. 1744.

7. Inq. 6. Quid requiratur, ut quis valide, & licite recipiat tonsuram? R. Ad validum solum requiri, quod sit vir, & baptizatus; nam parvulis potest etiam conferri valide ab Episcopo, esto peccator graviter. Ad licitum autem requiruntur novem conditiones. 1. Quod habeat saltem septem annos, & usum rationis. 2. Quod sciat rudimenta fidei, legere, & ac scribere. 3. Quod sit confirmatus. 4. Quod sit legitimus, vel ut talis habitus, & cognitus. 5. Quod non sit Neophytus. 6. Quod sit immunis a censura, & irregularitate. 7. Quod accedat animo serviendi melius Deo in statu clericali. 8. Quod a proprio Episcopo, vel ab alio de ejus consensu tonsuretur. 9. Quod sit indutus habitu clericali. Non requiritur, quod tonsuratus confiteatur, aut recipiat communionem eodem die; hoc quippe esto sit laudabile: & expedit recipere tonsuram in statu gra-

tia: tamen eam recipiens in peccato, non peccaret graviter. Potest tonsura recipi quovis die, & quacumque hora, qua Episcopus, vel alii facultate confendi gaudentes, ministrare velint. Nota denique, Apostolos instituisse primam tonsuram, & juxta quosdam primus omnium illum instituit D. Petrus in memoriam coronæ spinæ Domini nostri.

#### PUNCTUM II.

##### De ordinibus in communi.

8. Inq. 1. Quid sit ordo? R. Est *Signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas tribuitur ordinato in ordine ad Eucharistiam*. Vel respondeas habere duplicem definitionem, metaphysicam, & physicam. Metaphysica est, *sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino causativum gratiæ potestativæ*. Physica est, *traditio, & acceptio materiæ in qua talis ordo debet exerceri sub præscripta verborum forma*. Ordinem esse sacramentum constat, tum ex tradita definitione, tum ex Trid. sess. 23. cap. 1. & can. 3. tum ex ratione: quia ad sacramentum tria requiruntur, nempe signum sensibile, institutio Christi, & promissio gratiæ rite suscipientibus; sed hæc tria adsunt in ordine, ut patet, ergo ordo est vere sacramentum.

9. Inq. 2. Quando instituit Christus hoc sacramentum? R. Hunc instituisse in nocte cenæ, quando dixit: *hoc facite in meam commemorationem*. Tunc instituit expresse Sacerdotium, Diaconatum instituit, quando præparavit materiam pro Eucharistia conficienda; vel juxta alios, quando lavavit pedes discipulorum: ordines minores, vel instituit in eadem nocte juxta quosdam, vel antea, temporibus infra designandis, ut sic per eos tamquam per quosdam gradus congruus ascenderetur ad Sacerdotium, relinquendo Ecclesiæ potestatem determinandi materiam, & formam in individuo, quibus opportune potestas, in quolibet ordine tradita, significaretur. Hinc Ecclesia græca difet a latina in quibusdam modis materiæ, & formæ ordinum, & aliorum sacramentorum. Differt inquam materialiter, non formaliter, quia

utra-

utraque convenit in significatione potestatis traditæ, & gratiæ, quæ per quodlibet sacramentum confertur. Qui reluctantur hoc concedere, assignent formam institutam v. g. pro matrimonio.

10. Inq. 3. Quot sint ordines, & an omnes sint sacramenta? R. Ordines sunt septem. Tres majores, nempe Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, & quatuor minores, nimirum Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus. Omnes, & singuli sunt vera sacramenta, quia omnes, & singuli habent propriam materiam, & formam, tribuunt peculiarem potestatem, producent propriam characterem, & causant specialem gratiam.

11. Objic. 1. Tonsura est ordo, cum tribuat potestatem canendi in choro, & alia privilegia laicis non concessa. 2. Episcopus est ordo, cum conferat potestatem ordinandi, & alias, quibus carent reliqui Sacerdotes, ergo ordines sunt plures quam septem.

12. R. ad 1. Quod tonsura non est ordo, sed preparatio ad ordines: non enim causat gratiam ex opere operato, nec habet propriam materiam, & formam, ut dictum est. Conferat tamen quamdam potestatem supra laicos, quia incipit ingredi Sanctuarium, & adscribi militiæ clericali. Unde fruatur privilegiis clericorum, sicut novitius gaudet privilegiis professorum.

13. R. ad 2. Episcopatum esse verum ordinem; non autem distinctum a Sacerdotio, nec imprimi characterem distinctum realiter, sed modaliter; nam in Episcopatu additur characteri Sacerdotali novus modus, virtute cujus valet Episcopus ordinare, & perficere alia omnia, quæ non possunt cæteri Sacerdotes, illo modo supradicto carentes. Unde in Episcopatu datur etiam peculiaris gratia simul cum modo addito; ideo debet conferri, & recipi in statu gratiæ; alias tam conferens, quam recipiens hanc consecrationem in peccato, gravis culpæ reus evaderet. Igitur Episcopatum non est ordo distinctus a Sacerdotio, sed idem cum novo modo, & complementum Sacerdotii. Quare, qui assumitur ad Episcopatum ante Sacerdotium, debet prius ordinari Sacerdos, & postea consecrari Episcopus; alias nequiret valide conferre ordines, consecrare calices, nec obire aliquod munus Episcopale ad exer-

cicium ordinis expectans.

14. Objic. 3. Si quilibet ordo est sacramentum, erunt in Ecclesia plusquam septem sacramenta, hoc est falsum, ergo singuli ordines non sunt sacramenta. R. Omnes ordines esse unum sacramentum adequatum, esto quilibet sit sacramentum, quia omnes sunt unum unitate ordinis, seu habitudinis unius ad alium, & omnium ad unum, nempe ad Sacerdotium, ad cuius completam constitutionem omnes ordinantur. Nota, quod Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus appellantur *ordines hierarchici*.

13. Inq. 4. An qui reciperet ordinem Sacerdotii, aliis inferioribus non receptis, maneret verus Sacerdos? R. affirm. Quia receptio aliorum ordinum non requiritur ad validum, sed ad licitum, ob rationem appositam num. præced. quia videlicet quilibet ordo distinguitur realiter ab aliis, & est distinctum sacramentum. Ordinatus autem scienter per saltum manet ipso facto suspensus ab exercitio ordinis suscepti, ita ut, si ordinem sic receptum exerceat, incurrat irregularitatem Papæ reservatam. Si non ministravit in ordine per saltum suscepto, valet ab Episcopo absolvi a suspensione.

16. Inq. 5. An ad validam ordinationem necessarius sit consensus ordinandi? Hanc questionem totidem verbis excitat Concina, & respondet: *affirmant omnes*. Sed vix unus affirmat universaliter, quia alias parvuli non possent valide ordinari. Igitur ad validam ordinationem absolute non requiritur consensus ordinandi, nisi in adultis, ut dictum est supra de baptismo. Imo, ut adulti valide ordinentur, aut baptizentur, sufficit, quod non contradicant, ut habetur in textu cap. *Majores* laudato contra suam universalem positionem ab ipso Concina lib. 1. diss. 2. de ord. cap. 9. n. ult.

#### PUNCTUM III.

*De materia, forma, & effectu ordinum.*

17. Inq. 1. Quæ sit materia, & forma ordinum in communi? R. Quod materia est duplex, nempe remota, & proxima. Remota est illa materia, quæ ordinando traditur ab Episcopo. Proxima vero est

Aa 2

ipsa

ipsa traditio, & acceptio materiæ ejusdemque ordinis. Forma sunt verba, quibus significatur potestas, quæ illi pertalem ordinem confertur. Hæc forma per verba modi imperativi profertur; in quo distinguitur forma hujus sacramenti a forma aliorum sacramentorum; in his enim primario confertur gratia, quia tendunt ad perfectionem, & utilitatem recipientis; sacramentum autem ordinis, licet conferat gratiam, principaliter tamen perficit subjectum in ordine ad alios. Unde primario præbet potestatem, qua ordinatus constituitur minister publicus ad ceterorum utilitatem, & regimen, ideoque non est opus, ut illius forma significet gratiam, sed potestatem quam communicat. Quamvis Ecclesia græca utatur distincta materia, & forma in Presbyteratu, & Diaconatu; convenit tamen in earum significatione, quæ de formali se habet ad sacramentum, ut ut punct. præc. dictum est.

18. Inq. 2. An contactus physicus materiæ sit necessarius ad valorem ordinis? R. Quod sententia communis affirmat; ita ut ordo susceptus cum solo contactu morali materiæ debeat iterari juxta omnes sub conditione. Nam sententia negans requirit contactum physicum, & sufficere moralem probabilis est: ideoque talis ordo repeti debet, non absolute, sed sub conditione. Peccaret igitur graviter non apponens deliberate contactum physicum, quia ageret contra præceptum non sequendi in materia sacramentorum opinionem probabilem, relicta tutiori.

19. Non tamen requiritur contactus intermedius, sed sufficit mediatus: ut si medio aliquo velo, panno, aut chirotheca tangeretur materia. Nam ille contactus requiritur, & sufficit, quo verificatur suscipientem rem, vere eam recipere. Nec requiritur tangere totam materiam; sed sufficit, si tangatur una contenta in alia, ut vinum in calice. Verum licet juxta quosdam idem sit de patena, & hostia, quæ tacto calice, supra quem porriguntur, tangi sufficienter videntur; nihilominus curandum est ad repelendos scrupulos, quod extremis digitis tangantur. Pariter non requiritur conjunctio physica inter contactum materiæ, & prolationem formæ; sufficit enim conjunctio moralis, prout dictum

est in tract. de sacram. in genere. In ordinibus majoribus ab eodem, qui tradit materiam, debet proferri forma; in minoribus autem potest ab uno tradi materia, & ab alio proferri forma ex usu, & præscripto Ecclesiæ. Tangens materiam media manu, aut digitis alterius ordinandi simul cum eo, manet ordinatus, quia quibus adest contactus mediatus.

20. Inq. 3. Qualis sit effectus sacramenti ordinis? R. Tres sunt ejus effectus. Nempè gratia sanctificans, sacramentalis, & caracter. Alii duos tantum effectus designant, sed in duobus istis tres illi comprehenduntur. Quoniam certum est, quod singulis sacramentis, præter sanctificantem, correspondet gratia sacramentalis, seu jus ad auxilia opportuna ad finem cujuscumque sacramenti consequendum. Unde omnes conveniunt in eo, quod per ordinem causatur, non solum gratia sanctificans, & caracter, sed & gratia sacramentalis, quæ dicitur quædam amplior gratia, seu gratia plenitudo, qua ordinatus elevatur supra alios, & insignitur ad rite ordinis munia obeunda. Quamvis quis ordinaretur in lethali, reciperet caracterem, & gratiam sacramentalem, hoc est jus ad auxilia, quia tam jus, quam caracter sunt velut gratia gratis data, quæ in peccatore recipi possunt. Character unius ordinis differt realiter a caractere alterius, ut diximus tract. 22. a. n. 75.

21. Inq. 4. An qui ordinatus non est, possit exercere ministeria ordinum? R. Sub distinctione. Nam ministeria ordinum minorum possunt a laicis exerceri valide: imo sæpe etiam licite, ut patet de Acholytis, & Ostiariis. Nec inde inferas superfluos esse tales ordines, quia convenientes sunt in Ecclesia, non ut fiant eorum ministeria utcumque, sed ut fiant aptius, & melius a ministris publice deputatis ab Ecclesia. Ministeria Diaconatus, & Subdiaconatus valent exerceri a non habentibus tales ordines valide; non vero licite. Peccaret enim graviter illa sine ordine respectivo exercens in Missa solemnî, & fieret reus excommunicationis ferendæ, & irregularitatis ipso facto. At cantans epistolam sine manipulo non exerceret solemniter ministerium Subdiaconatus. Tandem nullus potest exercere adhuc valide ministeria Sacerdotis, aut Episcopi sine Sacerdotio, aut

Epis-

Episcopatu; imo gravissimis poenis fit obnoxius non Sacerdos, attentans dicere Missam, aut absolvere. Bened. XIV. in Bulla: Sacerdos in æternum. 20. Apr. 1744. & in alia incip. Divinarum. 2. Augusti 1757.

#### PUNCTUM IV.

##### De ministro ordinum.

22. Inq. 1. Quis sit minister sacramenti ordinis? R. Quod minister ordinarius est solus Episcopus consecratus, qui, esto sit vitandus, schismaticus, hæreticus, aut degradatus valide potest ordinare; sicut valide potest panem, & vinum consecrare. Quia ordinare est munus caracteris, & potestatis Episcopalis indelebilis. Minister autem ordinis delegatus potest esse quilibet Sacerdos pro minoribus ordinibus, & etiam pro Subdiaconatu ex commissione Papæ. Abbates mitrati possunt conferre tonsuram, & quatuor minores ordines propriis subditis regularibus. Abbates autem sæculares non gaudent ad hoc facultate.

23. Objic. In cap. Quamvis prohibetur Chorepiscopis consecrare Præbiteros, Diaconos, aut Virgines, ergo non omnis Episcopus est minister ordinarius ordinum. R. Chorepiscopos fuisse olim in duplici differentia. Alii quippe non erant vere Episcopi, sed coadjutores Episcoporum, loco septuaginta duorum discipulorum assignati. Et isti nullum ordinem conferre valebant. Alii vero Chorepiscopi vere erant Episcopi, sed absque propria Diocesi, ut nunc sunt auxiliares, & titulares; & isti licet valide possint ordinare, non tamen licite, nisi ex commissione Episcopi Diocessani. Vide Bened. XIV. in Syn. lib. 3. cap. 3. num. 6.

24. Inq. 2. Quos possit Episcopus licite ordinare? R. Plura ad id requiri. Inter alia autem requiritur, quod ordinandus sit ejus subditus ratione originis, domicili, aut beneficii, vel familiaritatis, seu servitii continui triennalis sub conditione, quod ei saltem intra mensem ab ordinatione conferat beneficium ecclesiasticum. Hæc facultas ordinandi proprios familiares non conceditur Episcopis titularibus. Insuper valet ordinare externos cum dimissoria proprii Episcopi, & regulares suæ Diocesis cum literis suorum

superiorum, ac etiam extraneos cum dictis literis, & attestatione fidem faciente, quod Episcopus eorum Diocessanus non celebrat ordines. In dimissoria ab Episcopo, vel Sede vacante expeditis quatuor conditiones sunt exprimendæ. 1. Examen legitimum cum approbatione. 2. Causa, ob quam in propria Diocesi ordines non celebrantur. 3. Ordines, ad quos suscipiendos dimissoria expediuntur. 4. Facultas illos recipiendi, vel a tali, vel a quolibet catholico Episcopo. Hæc autem facultas non expirat morte concedentis, seu mutatione Sedis vacantis, quia est gratia facta.

25. Inq. 3. An Episcopus exterum ordinaturus possit eum examinare, esto admittat dimissorias pro ejus ordinatione? R. Non teneri, sed posse. Nisi sit Episcopus auxiliaris; tunc enim nec tenetur, nec potest. Valebit tamen hic ab illius ordinatione abstinere, si ex justa causa id expediens judicaverit; ut ex variis declarationibus sac. congr. tradit Bened. XIV. in Syn. lib. 12. cap. 8. n. 7.

26. Inq. 4. Quis possit expedire dimissorias? R. Posse in primis Episcopus pro suis subditis. Item valet eas concedere Vicarius sedis vacantis, transacto anno vacationis; & etiam intra annum ob Ecclesiæ alicujus necessitate; vel ordinis jam suscepti indigentiam. Prælati regulares possunt etiam concedere dimissorias propriis subditis directas ad Episcopum Diocessanum, vel, isto ordine non celebrante, ad alium Episcopum.

27. Inq. 5. A quo Episcopo regulares ordinari possint? R. Suscipere debere ordines ab Episcopo loci, in quo degunt. Unde Superiores regularium ordinandorum debent dirigere dimissorias ad Episcopum Diocessanum. Si autem degant in territorio nullius Diocesis, debent eas dirigere ad Episcopum viciniorum. Hoc autem, vel proprio Episcopo ordines non celebrante, possunt eas dirigere ad quemvis alium Episcopum. Sed regulares ab alieno Episcopo ordinandi, præter dimissorias, debent exhibere testimonium authenticum Vicarii generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii Diocessani, in quo constet ipsum a Diocesi abesse, aut ordines pro tunc non celebrare. Caveant autem omnino Superiores regularium, ne fraudulenter in his se gerant, differendo de

de industria concessionem dimissoriumum ad tempus absentie Episcopi, vel non celebrationis ordinum in propria Diocesi. Tum quia fraus ab omnibus vitari debet, & omnes dedecet, maxime viros spirituales. Tum quia fraudes regularium, etiam si solum in suspicione maneant, plurimum proclamantur. At in casu absentie Episcopi Diocesani, vel non celebrationis ordinum, non tenentur regulares ab eo exquirere dimissorias, sed sufficiunt dimissorie suorum superiorum cum predicto testimonio.

28. Inq. 6. Quas poenas incurrant regulares in predictis deficientes? R. Superiores regularium dantes dimissorias ad alium Episcopum, relicto Diocesano presente, & ordines celebrante; vel absente, aut ordines non celebrante, de hoc non exhibentes testimonium, prout supra, incurrere ipso facto poenas privationis officii, vel dignitatis, ac vocis activae, & passivae, & alias arbitrio Pontificis. Ipsi autem ordinati, supradictis non servatis, poenam suspensionis incurrunt. Episcopus ordinans exterum sine dimissoriis legitimis, aut regularem alienae Diocesis sine memorato testimonio, manet per annum suspensus ab ordinibus conferendis. Omnia constant ex Constit. *Impositi nobis*, aliarum confirmativa edita a Bened. XIV. die 27. Febr. 1747.

29. Inq. 7. Ubi, & quando Episcopus debeat ordines celebrare? R. Non posse Episcopum in aliena Diocesi ordines celebrare sub gravi culpa, & sub poena suspensionis ipso facto a pontificalibus: & ab exercitio ordinis sic suscepti, maneret etiam suspensus sic ordinatus. Nisi id faceret de consensu expresso Episcopi territorii, quo interveniente, non intelligitur prohibitio exercitii pontificalium in alieno territorio, a jure Episcopis injuncto. Ordines debent celebrari in Ecclesia; vel cum causa in sacello episcopali, & intra Missam, praesertim ordines majores: graviter enim illicita, esto valida, esset ordinum majorum collatio extra Missam. Episcopus initiatus aliquem ante septimum prima tonsura incurrit suspensionem per annum ab ejus collatione, *Ex cap. Nullus, de temp. Ord. in 6.* Item, si absque testimonio proprii Ordinarii alicui ordines confert, suspenditur per annum. *Ex*

*Trident. Sess. 23. cap. 8. de reform.*

30. Circa tempus ordinationis, Prima tonsura conferri valet quolibet die. Ordines minores privatum quolibet festo; publice, vel feria sexta ante sabbatum, in quo ordines celebrantur, vel in eodem sabbato; vel etiam ex causa in Dominica sequenti, aut precedenti. Denique ordines majores sabbatis quatuor temporum, sabbato ante Dominicam Passionis, & sabbato sancto. Ex privilegio aliis temporibus etiam conferri valent. Regulares, qui habent privilegium, ut a quovis Episcopo ordinentur, vel ad recipiendos ordines extra tempora expresse concessum post Concil. Trid. valent modo dicto a quolibet Episcopo, aut quolibet tempore eos recipere; ut patet ex memorata const. *Impositi nobis*.

#### PUNCTUM V.

##### De ordinum subiecto.

31. Inq. 1. Quis sit subiectum capax ad ordines recipiendos? R. Foemina esse incapacem ordinis recipiendi. Tum quia mulieri nec docere, nec dominari permittitur in Ecclesia. Tum quia Christus nec nocte coenae, nec alio tempore legitur alicui foeminae contulisse ordinis dignitatem: quam profecto non denegasset suae sanctissimae matri, utpote omnium dignissimae, si posset ea mulier insigniri. Unde communior sententia defendit foeminas jure divino esse ordinis incapaces: imo, & primae tonsurae; ita ut nec Pontifex valeat in hoc dispensare. Ita D. Thom. in supplemento q. 39. art. 1.

32. Obje. 1. Olim in Ecclesia fuere Presbyterae, & Diaconissae, ut constat ex jure canonico. Joanna Anglicana ad summum Pontificatum fuit assumpta nomine Joannis VIII. R. ad. 1. Quoad olim uxores, quas Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi ante ordinationem duxerant, appellabantur Episcopae, Presbyterae, Diaconissae, aut Subdiaconissae, ex quo non inferitur talibus ordinis initiatas fuisse. Erant etiam aliae Presbyterae, & Diaconissae Deo dicatae, ita appellatae, quia homiliae canebant in choro, & quibusdam ministeriis inserviebant; ut aperire ostia foeminis, quae tunc erant a viris

separata in templo; exuere, & induere mulieres baptizandas; & instruere rusticanas. Haec autem, & alia ministeria nullo ordine insignita praestare poterant; & praestabant.

33. R. Ad 2. historiam de Joanna Anglicana esse fabulam haeticorum, qua alucinati aliqui scriptores catholici, ut Martinus Polonus, Marianus Scotus, Sigbertus, & Platina suas historias turpiter fecerunt, reclamantibus scriptoribus gravioribus ejusdem aevi supposita Joannae Papissae. Vid. Annat. tom. 7. lib. 21. art. 12. Omnes enim coguntur fateri, quod Pontifex debet esse Sacerdos; at nullus putat foeminam posse esse Sacerdotem, igitur nec Pontifex; quidquid garulit Magdeburgenses haetici contra Ecclesiam Romanam.

34. Inq. 2. An Hermaphroditus sit incapax ordines recipiendi? R. Hermaphroditos esse in triplici differentia. Alii enim sunt, in quibus praevalet sexus foemineus; & hi sunt incapaces ordinis sicut ipsa foemina. Alii in quibus uterque sexus aequè dominatur; & de istis idem est ac de prioribus, quando sexus virilis non praevalet. Alii denique, in quibus praevalet sexus virilis, ob quam rationem absolute ordinis capaces reputantur. Sunt tamen irregulares, nec expedit talia monstra ordinari: & multo minus mulierem in virum erumpentem, quod accidere posse, admittunt plures. Nam esto non sit incapax ordinis, supposito sexu virili; tamen non decet talibus ordines conferre. Si autem ordinato jam hermaphroditò, sexus foemineus praevaleat, invalide consecraret, sicut Sacerdos transiens a statu viatoris, quilibet gaudeat caractere in anima, nequit valide eo uti.

35. Inq. 3. Quot condiciones requirantur, ut valide, & licite ordines quis recipiat? R. Saltem decem; & novem requiruntur. 1. Quod sit vir. 2. Quod sit legitimus, vel saltem legitimatus, aut dispensatus. 3. Quod sit baptizatus. 4. Quod sit confirmatus. 5. Quod non sit Neophytus, aut recentior conversus. 6. Quod sit vocatus a Deo ad statum ecclesiasticum. 7. Quod habeat intentionem ordines recipiendi, & serviendi in eis Deo, & Ecclesiae. 8. Quod habeat legitimam aetatem. Pro tribus ordinibus minoribus aetas a septimo anno

usque ad decimum quartum requiritur communiter juxta locorum consuetudinem, seu peculiaria statuta Diocesana. Pro Subdiaconatu. 22. Pro Diaconatu. 23. Et pro Presbyteratu. 25. anni designantur a Tridentino. Sufficit autem, quod dicti anni sint incepti, etiam per unam vocam. 36. Nona conditio est, quod sit in statu gratiae. 10. Quod careat omni censura; & irregularitate. 11. Si fuit uxoratus, quod exhibeat fidem obitus uxoris, & matrimonii cum ea celebrati, ex qua constat uniceam, & virginem duxisse. 12. Quod possit sufficienti scientia pro ordine respective suscipiendo. 13. Quod illum recipiat a proprio Episcopo, seu legitimo Superiore, vel ex ejus consensu expresso ab alio. 14. Quod suscipiat illum debito tempore, & loco, ac habito clericali indutus, & cum attestazione probitatis vitae, & honestatis morum, ac frequentis sacramentorum. 15. Quod sit initiatus tonsura, & ordine anteriori, priusquam ulteriores suscipiat. 16. Quod ad ordines majores servet interstitia ab Ecclesia praescripta. 17. Quod exerceat ordinem sacrum susceptum; priusquam alium recipiat. 18. Quod habeat verum titulum ad eosdem recipiendos. Denique 19. quod habeat exercitia spiritualia per decem dies in aliquo seminario, vel monasterio ante ordinis susceptionem. Haec sunt requisita ad validam, & licitam ordium susceptionem ex variis decretis Pontificis.

37. Inq. 4. Quid sint interstitia? R. Esse intervalla temporis unius anni assignata ab Ecclesia inter unum, & alium ordinem sacrum: Quamvis olim etiam ad minores ordines servarentur, post Tridentinum tamen ab arbitrio Episcopi pendet eorum observatio; & ex consuetudine inter minores, & majores solent dispensari. Possunt etiam ab Episcopo dispensari inter ipsos majores ex causa necessitatis, aut utilitatis Ecclesiae. Haec interstitia sunt jure praescripta, ut ordinandus illo anno se exerceat in ordine suscepto, & pro alio suscipiendo aptius se disponat. Solum Episcopo comperit in eis dispensare ex causa juxta prudens arbitrium.

38. Ordinatus per saltum, vel scienter sine legitima aetate, aut simoniace, vel sine dimissoriis ab Episcopo non proprio, aut sine titulo, vel cum titulo ficto, vel cum

censura, aut irregularitate, vel alio impedimento canonico, incurrit suspensionem ab exercitio ordinum: a qua, si illos non exercuerit, potest absolvi ab Episcopo, excepta suspensione ob simoniam incurta; hæc enim est Papæ reservata, sicut, & alie incurte ob exercitium ordinum non legitime susceptorum. Suscipiens eodem die duos ordines majores manet suspensus ab exercitio posterioris. Episcopus etiam incurrit suspensionem Papæ reservatam.

39. Inq. 5. An suscipiens ordines in lethali peccet graviter? R. affirm. Quia omnes juxta communione sententiam sunt sacramenta. Igitur cum sint sacramenta vivorum, requirunt sub gravi statum gratiæ in subiecto. At Concina, lib. 1. de ordine cap. 2. n. 15. ait, quod esto ordines minores non essent sacramenta, peccaret graviter illos recipiens in peccato, sed neque id probat, nec verum reputamus. Oppositum indicat Beaed. XIV. in Syn. l. 8. c. 9. n. 12.

#### PUNCTUM VI.

##### De titulo ad sacros ordines requisito.

40. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit titulus pro recipiendis ordinibus sacris requisitus? R. Nihil aliud esse titulum, quam *ius ad aliquid legitime possidendum, vel faciendum*. In præsentem autem est ius ad congruam sustentationem, qua valeat clericus decenter vivere, quin cogatur mendicare, aut aliquam artem suo statui alienam exercere. Hic appellatur titulus clericalis. Est autem triplex, nempe *beneficii, patrimonii, & paupertatis, seu monachalis*.

41. Inq. 2. Quid requiratur, ut quis ad titulum beneficii ordinari licite possit? R. In primis requiri pacificam possessionem beneficii, & fructuum ejus; hoc est, quod non sit impeditus ad percipiendum congruo tempore ejus fructus. Deinde, quod beneficium sit sufficiens pro congrua juxta taxam synodalem, aut iudicium Episcopi, & morem regionis, detractis oneribus, quibus beneficium gravatur; non autem stipendio respondente numero Missarum, ad quas celebrandas clericus in ejus fundatione adstringitur, aliud Episcopo non statuente. Si clericus ordinetur in lo-

co domicilii, & in alia Diocesi obtineat beneficium, possens perpetuum residentiam: tunc congrua computanda est juxta taxam Diocesis beneficii; secus vero, si residentiam non deponat. Ex constit. *Apostolici ministerii* edita ab Innoc. XIII. Confirmativa alterius incipientis: *Speculatores* Innocent. XII. ubi hic Pontifex zelo vere apostolico decernit, quis, a quo, quomodo, & quo titulo ordinari possit, & debeat.

42. Inq. 3. An ordinari valeat aliquis ad titulum beneficii certi de futuro? R. neg. Quia decreta conciliaria, & pontificia exigunt possessionem pacificam beneficii. Neque quisquam valet renuntiare, aut resignare beneficium, ad cuius titulum est ordinatus, nisi sub duplici conditione; hoc est, quod prius habeat congruam aliunde, & quod exponat illud esse beneficium, ad cuius titulum fuit ordinatus. Potest autem quis privare a beneficio, ad cuius titulum ordines suscepit, si ejus delicta ita postulent; in quo aliqui falluntur, putantes non dari potestatem esse a tali beneficio privandi. Unde audacioris facti rebelles fiunt Episcopis, ab eis diffugiunt, & residentiam obligationem gravissimam violant; cum hæc sola culpa non residentiam, ubi ad id adstringuntur ex natura ipsius beneficii, vel ex statutis alicujus Ecclesie, sufficiat ad juste eos privandos beneficio.

43. Potest etiam quis ordinari ad titulum coadjutorie perpetuæ, designata sufficienti congrua. Idem est de pensione clericali, commenda, & præstimonio perpetuo, ac de servitio alicujus hospitalis, vel Ecclesie. Nam licet non sint proprie beneficia ecclesiastica, habent tamen naturam beneficii, ad quam potius, quam ad vocem est attendendum pro vero titulo ad effectum. Si parum deficiat beneficio pro congrua sufficienti, potest quis legitime ordinari ad ejus titulum; quia parum pro nihilo reputatur, nec congrua consistit in indivisibili. Quavis pro possibili curandum est, ut attingat taxam synodalem. Potest etiam suppleri defectus ex bonis prophanis immobilibus designatis ad hunc finem; ita ut ex beneficio, & supplemento conflatur congrua taxa.

44. Inq. 4. Quid sit patrimonium, & quis

quis possit ordinari ad ejus titulum? R. Patrimonium in presenti est *ius percipiendi congruam sustentationem ex bonis immobilibus frugiferis, a patre, vel ab alio habitis, seu donatis*. Ad titulum patrimonii solum possunt ordinari illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, & commoditate Ecclesiarum suarum, ut præscribit Tridentin. *Sess. 21. cap. 2. de reformat.* Et confirmant constitutiones pontificiæ supra laudatæ. Hoc patrimonium debet esse verum, seclusa omni fraude. Nec valet alienari, aut vendi sine consensu Episcopi, & congrua aliunde habita. Episcopus alique ordinans sine titulo, incurrit suspensionem a collatione ordinum per annum, & debet alere illum; hic vero incurrit suspensionem pro tempore arbitrio Episcopi.

45. Tertius titulus est monachalis, seu paupertatis, vi cuius ordinantur regulares solemniter professi. Hi enim de bonis Ecclesie, seu monasterii, aut religionis, in qua sunt professi, sustentantur. Ad hunc modum sustentabantur primis Ecclesie sæculis omnes clerici: debebant enim addicti alicui Ecclesie, & ex communi peno, fidelium oblationibus conflato, singulis necessaria Episcopus suppeditabat. Nunc autem post beneficiorum divisionem, quidam habent plusquam egent, & quidam egent plusquam habent. Utinam huic labori inveniri possit aliquod medium, aut remedium.

#### CAPUT II.

##### De ordinibus in particulari.

Quamvis AA. ut plurimum omittant definitiones ordinum in particulari; pro majori tamen claritate illas exhibemus in presenti: quia definitio metaphysica explicat genus, & differentiam rei, & physica ejus partes.

#### PUNCTUM I.

##### Expenduntur quatuor minores ordines.

46. Inq. 1. Quid sit Ostiarius? R. Habet duplicem definitionem metaphysicam, & physicam. Metaphysica est, *sacramentum novæ legis, institutum a Christo Domino, causativum gratiæ potestativæ ad* Tom. II.

*aperiendum portas Ecclesie dignis, & claudendum indignis*: physica est, *traditio, & acceptio clavium sub præscripta verborum forma, ab Episcopo consecrato prolata*. Materia proxima Ostiarii est traditio, & acceptio clavium. Materia autem remota sunt claves Ecclesie. At quia materia proxima in omni ordine est ipsa traditio, & acceptio materiæ remotæ, solum de hac loquemur, in cæteris illam supponendo. Campanula, quæ confertur Ostiario, non pertinet ad ejus materiam, sed est quadam cæremonia ecclesiastica. Forma ejus sunt verba ab Episcopo prolata: *Sic age quasi rationem Deo redditurus pro his rebus; quæ his clavibus includuntur*.

47. Inq. 2. Quæ debeant esse claves Ostiario, tradendæ? R. Debere esse claves Ecclesie. At si aliæ traderentur, teneret ordinatio, dummodo essent vere claves, quibus significatur potestas aperiendi, & claudendi. Unde claves ex papiro, aut alia futili materia inepta ad aperiendum, & claudendum, non sunt materia valida.

48. Inq. 3. Quænam sint Ostiarii officia? R. Quatuor designari. 1. Aperire portas Ecclesie dignis; idest fidelibus, & claudere indignis, nempe infidelibus, & excommunicatis. 2. Arcere laicos, & præsertim feminas, ne prope altare accedant. 3. Pulsare campanam, convocando populum ad divina officia. 4. Vasa sacra & Ecclesia suppellectilem custodire. Alii assignant etiam curare, ut omnes in Ecclesia cum debita modestia, silentio, & reverentia se gerant. Instituit Christus Ostiariatum; quando ejecit de templo vendentes, & ementes, Matth. 21.

49. Inq. 4. Quid sit Lectoratus? R. Metaphysice definitur, *sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino, causativum gratiæ potestativæ ad legendum Prophetias veteris, & novi testamenti*. Physica est, *traditio, & acceptio libri Prophetiarum sub præscripta verborum forma ab Episcopo consecrato prolata*. Ejus materia est liber Prophetiarum, sive sit biblia, missale, breviarium, vel alius quilibet liber, in quo adsit Prophetia veteris, & novi testamenti. Dicitur: claves quæcumque sint materia valida Ostiariatus sunt, ergo quilibet liber, est sine prophetia, erit materia valida Lectoratus. R. neg. consequ. Quia claves pro materia Ostiariatus nihil

continent sanctum, ideo sufficit esse vere claves ad designandam potestatem aperiendi, & claudendi Ecclesiam. At materia Lectoratus continet quid sanctum, hoc est Prophetiam veteris, & novi testamenti: unde si hæc absint, abest etiam materia valida Lectoratus.

50. Inq. 5. Quæ sint Lectoratus munia? R. esse quinque. 1. Legere alta voce in Ecclesia scripturam sacram utriusque testamenti. Non quidem prædicare, ut aliqui dixerunt; hoc enim est munus Diaconi, Parrochi, & Episcopi, sed scripturas perlegere. 2. Docere fidei rudimenta. Catechumenos, & rudes baptizatos. 3. Panem, & novos fructus a fidelibus oblatos benedicere. 4. Canere laudes divinas, & canticibus præesse. 5. Olim erat legere scripturam, quam Episcopus erat interpretaturus. Instituit Christus Lectoratum, quando aperiens librum Isaia legit: *Spiritus Domini super me. Luc. 4.*

51. Inq. 6. Quid sit Exorcistatus? R. Definitio metaphysica est, *sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino, causativum gratiæ potestativæ ad conjurandum Dæmones, & tempestates.* Physica est, *traditio, & acceptio libri Exorcismorum sub præscripta verborum forma ab Episcopo consecrato prolata.* Ejus materia est liber exorcismorum. Si traderetur Pontificale romanum, aut Missale esset etiam materia, ut constat ex ipso Pontificali. Forma ejus sunt verba ab Episcopo prolata. Nullus potest exorcizare sine licentia ordinarii, quia ex querelis Episcoporum ita dispositum est a Sede apostolica. An justæ sin tales querelæ præsertim pro necessitatibus frequenter occurrentibus, viderint ipsi. Regulare tamen ab hoc labore supersedeant, nisi consuetudo immemorabilis prævaleat. Dum quis igitur ordinatur, recipit potestatem exorcizandi in actu primo; pro ejus tamen exercitio requiritur licentia Episcopi ex declarat. *S. congr. Episcop. & regul. 22. Februar. 1625.*

52. Inq. 7. Quæ sint munia Exorcistæ? R. Esse exorcizare Dæmones, & manus imponere super Catechumenos, & baptizatos, ut illi repellantur ab eorum corporibus, & parare locum communicaturis. Aliqui asserunt omnes fideles posse exorcizare Dæmones, & eos a corporibus re-

pellere, dummodo exorcizatio sit bona, probata, & non superstitiosa; in qua sententia prohibito supradicta intelligitur de exorcizazione solemni, & ex officio; non de privata, ex devotione, & caritate. Mihi aridet dicere, quod ordinatus exorcizat imperatively majori potestate cæteris fidelibus non ordinatis. Etenim isti eo ipso, quod baptizati, & fideles sunt, habent potestatem supra Dæmones, esto non ex officio, & ideo minorem ordinatis. Nihilominus omnes absque Episcopi facultate abstineant a talis potestatis exercitio publico. Instituit Christus Exorcistatum, dum Dæmones ejecit. *Marc. 1. 16.*

53. Inq. 8. Quid sit Acolythatus? R. Defini methaphysice, *sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino, causativum gratiæ potestativæ ad ministrandum urceolos, & portandum candelabrum.* Physica est, *traditio, & acceptio urceolorum vacuorum, & candelabri cum cereo non accenso sub præscripta verborum forma.* Ejus materia sunt urceoli, sive vacui, sive pleni, & candelabrum cum cereo, vel sine illo, accenso, vel extincto; hoc enim non est de essentia, utraque materia est essentialis; sed character in traditione urceolorum, & sub verbis præscriptis principalibus imprimitur. Candelabrum etiam est de essentia, minus vero principalis; inde enim Acholythus dicitur Ceroferrarius. Ejus munia sunt urceolos mundare; vino & aqua eos replere, ac tradere Subdiacono ad sacrificium; & lumen deferre ad cantandum Evangelium. Forma Acolythatus sunt verba ab Episcopo prolata in traditione utriusque materiæ. Ideo est etiam duplex forma partialis, sed principalior, quæ in traditione urceolorum profertur; quia per munus urceolos præparandi, & ministrandi accedit magis Acolythus ad Eucharistiam. Etiam spectat ad Acolythum pulsare campanulam tempore sacrificii. Instituit Christus Acolythatum quando dixit: *ego sum lux mundi. Joan. 8.*

#### PUNCTUM II.

##### De Subdiaconatu, & Diaconatu.

54. Inq. 1. Quid sit Subdiaconatus? R. Definitio Metaphysica est, *sacramentum novæ legis; institutum a Christo Domino, causativum gratiæ potestativæ ad inser-*

vien-

*viendum Diacono in sacrificio Missæ, & cantandum solemniter Epistolas in Ecclesia cum manipulo.* Physica est *traditio, & acceptio calicis vacui, & patenæ vacuæ sub præscripta verborum forma ab Episcopo consecrato prolata.* Ejus materia est calix cum patena sine pane, aut vino. Si autem cum pane, & vino tradantur, non officit valori. Nam essentialia solum est traditio, & acceptio vasorum sacrorum. Unde debent ex necessitate esse consecrata, quia tribuitur Subdiacono potestas tangendi vasa sacra. Ejus forma sunt verba Episcopi: *videte cujus ministerium vobis traditur &c.* Epistolarum liber non est materia. Olim enim etiam a Diacono epistola caneatur; ideo tota materia Subdiaconatus consistit in traditione calicis, & patenæ.

55. Inq. 2. Quæ sint munia Subdiaconi? R. ejus munus præcipuum esse inseruire Diacono in altari, porrigendo ei calicem cum vino, & patenam cum hostia. Secundarium est cantare Epistolas solemniter in Ecclesia. Item infundere aquam ad abluenda digitorum extrema sacrificantis; crucem portare in processionibus; oblationes a populo suscipere. Denique abluere corporalia, & purificatoria. Obligationes, quibus adstringitur Subdiaconus, præcipue sunt tres; nempe deferre habitum clericalem, & tonsuram; servare castitatem; & recitare horas canonicas, de quibus mox.

56. Postulante necessitate, & deficiente Subdiacono pro Missa solemniter, potest permitti per superiores, ut initiatus ordinis minoribus substituat ad canendam Epistolam, paratus sine manipulo. Nam manipulo solum potest uti, qui vere constitutus est Subdiaconus ex *sac. rit. congreg. 5. Julii 1698.*

57. Inq. 3. Quid sit Diaconatus? R. Defini Methaphysice, *sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino, causativum gratiæ potestativæ cantandi solemniter Evangelium in Ecclesia cum manipulo, & stola.* Physice, *traditio, & acceptio libri Evangeliorum sub præscripta verborum forma ab Episcopo consecrato prolata.* Ejus materia præcipua est traditio libri Evangeliorum in Ecclesia latina; in græca autem solum est impositio manuum sub propria forma: *accipe Spiritum sanctum &c.*

Nos vero dicimus, quod licet hæc sit vera forma, & materia Diaconatus, non tamen adequata, sed partialis: imo asserimus traditionem libri Evangeliorum sub propria forma *accipite potestatem legendi Evangelium &c.* esse præcipuum materiam, in cujus traditione imprimitur character, & gratia confertur. Et hæc est communis sententia doctorum cum D. Thom. in *4. dist. 24. q. 2. a. 5. ad 5. & in supplem. q. 37. a. 5. ad 5.*

58. Alii asserunt, quod materia essentialis unica est manuum impositio, & forma oratio ei adjuncta; traditio vero libri Evangeliorum tantum est pars integralis. Hæc opinio est valde probabilis, roborataque praxi Ecclesiæ græcæ, in qua adest vera ordinatio sine prædicta traditione, ergo hæc de essentia ordinationis non est. Patet consequ. sine eo enim, quod est de essentia rei, nequit dari res. Nihilominus communis sententia tenet, quod traditio instrumentorum est materia essentialis in Ecclesia latina: Unde pro Diaconatu est duplex materia partialis, unam adequatam constituens, nempe impositio manuum Episcopi, ac traditio libri Evangeliorum. Nam Christus non determinavit materiam, & formam ordinationis in specie atoma, seu infima, sed in genere, aut specie subalterna, erg. illa erit materia essentialis, quam designavit Ecclesia ex potestate sibi a Christo relicta; sed Ecclesia latina designavit pro materia Diaconatus traditionem libri Evangeliorum, erg. hæc essentialis est in Ecclesia latina. Sic respondent Romæ ordinandi examinaturibus. Itaque tam impositio manuum, quam traditio instrumentorum est materia essentialis ordinis in Ecclesia latina; ac per utramque confertur gratia. Hæc opinio est unica amplectenda in praxi, eamque absolute tenere debet, qui doctrinæ Divi Thomæ subscribere velit. P. Cocina in præsentem deserens D. Thom. oppositæ subscribit sententiæ, convictus praxi græcorum. Sed hæc non omnino convincit, quia græci utuntur, vel saltim pluribus seculis juxta plures usi sunt pro absolute peccatis forma deprecativa, quæ in Ecclesia latina invalida est.

59. Inq. 4. Quæ sint munia Diaconi? R. Quinque esse præcipua. 1. Assistere, & ministrare Sacerdoti in sacrificio Missæ.

Bb 2

2. Evan-

2. Evangelium canere in Missa solemn. 3. Solemniter baptizare ex commissione Episcopi, aut Parochi, adstante causa. 4. In absentia Presbyterij Eucharistiam fidelibus dispensare. 5. Populo predicare cum licentia Episcopi. Peccat autem graviter exercens in lethali predicta munia, excepto ultimo. Diaconus facilius potest dispensare Eucharistiam in specie vini, ubi ad hoc adest consuetudo, seu privilegium, quam in specie panis, quia pro hac ministranda opus est tangere immediate Eucharistiam, non vero pro illa. Unde nunc solum in articulo mortis, deficiente Sacerdote, valet eam ministrare. *Vid. Angelic. loc. cit. supplem.*

## PUNCTUM III.

## De Presbyteratu.

60. Inq. 1. Quid sit Presbyteratus? R. Definitio metaphysica est *sacramentum novae legis institutum a Christo Domino causativum gratiae potestativae consciendi corpus, & sanguinem Christi*. Physica est *traditio, & acceptio calicis cum vino, & patena cum hostia sub praescripta verborum forma ab Episcopo consecrata, prolata*. Habet duplicem materiam, & formam essentialem, sicut Diaconatus; principalior tamen ejus materia in Ecclesia latina est traditio calicis, & patenae cum vino, & hostia; per hanc enim tribuitur Presbytero Potestas consecrandi panem, & vinum. Alia materia est impositio manuum Episcopi cum sua forma: *accipe Spiritum sanctum &c.* Per hanc tribuitur ei potestas absolvendi a peccatis in actu primo. Unde si tradita prima materia, & prolata forma ei respondeat: *accipe potestatem &c.* moreretur Episcopus, sic ordinatus non maneret adequate Sacerdos, reciperet enim unam potestatem sine alia, sicut de Juda dicitur. Apostoli pariter in triduo mortis Christi poterant consecrare, non vero a peccatis absolvere; quoniam potestatem consecrandi acceperunt in nocte coenae; absolvendi vero post Resurrectionem, ut ait D. Thom. in 4. dist. 34. q. 2. a. 3. ad 2.

61. Inq. 2. An si cui traderetur solum patena cum hostia, non vero calix cum vino, maneret vere ordinatus? Aliqui af-

firmant, quia est potestas indivisibilis, & sicut in una specie Eucharistiae continetur, & altera; ita una potestas in alia. Sed probabilius est oppositum. Tam ex conciliis, in quibus utraque materia tradenda decernitur. Tam quia sicut una species non est integrum sacramentum, ita traditio unius materia non sufficit pro adequata ordinatione, nec ad producendum characterem Sacerdotalem. *In ipsa traditione calicis sub forma verborum determinata character Sacerdotalis imprimitur*, ait D. Thom. in supplem. q. 37. art. 5. in corp.

62. Inq. 3. An calix, & patena tradenda ad Presbyteratum debeant necessario esse sacra, & cum vino, & hostia? R. Ad 1. neg. & ad 2. affirm. Ratio primi est: quia ordinandus Sacerdotio jam gaudet potestate tangendi vasa sacra tradita sibi in Subdiaconatu. Qua ratione ibi vasa tradenda debent ex necessitate esse sacra; hic vero ob oppositam rationem, id necessarium non est ad validum. Ratio secundi est: quia vinum, & hostia pertinent ad materiam Presbyteratus: igitur non solum calix, & patena utcumque, sed cum vino, & hostia tradi debent. Et converso in Subdiaconatu porrigi illa vacua oportet; esto valeret ordinatio, licet vacua non traderentur.

63. Inq. 4. Quae potestas detur Presbytero in ordinatione? R. Quod datur ei duplex potestas respondens duplici materiae, & formae partiali Presbyteratus. Prima est in corpus Christi physicum, quatenus potest consecrare panem, & vinum. Secunda est in corpus Christi mysticum, quatenus potest absolvere fideles a peccatis. Ad exercitium autem hujus secundae potestatis requiritur specialis approbatio, & licentia Episcopi, excepto articulo mortis.

64. Dices: Nec primam potestatem valet presbyter exercere sine licentia celebrandi post ordinationem datam ab Episcopo, ergo non adest differentia quoad hoc inter primam, & secundam potestatem. R. dari magnam differentiam. Pro exercitio enim primae potestatis requiritur approbatio in caeremoniis, & licentia Episcopi tantum *ad licitum*. Valida enim, esto illicita est quaelibet consecratio facta a presbytero absque ulla licentia Episcopi. Invalida vero absolutio data a Presbytero sine dicta licentia, nisi in articulo mortis.

65. Inq. 1.

65. Inq. 5. Quid potest absolvere simplex Sacerdos in articulo mortis? R. Possit in absentia Parochi, aut alterius jurisdictionem habentis absolvere ab omnibus peccatis, & censuris absque ulla restrictione eo modo, quo diximus tract. 27. a. num. 209.

66. Inq. 6. An possit recipi potestas absolvendi a peccatis, non recepta potestate consecrandi? R. neg. Quia potestas absolvendi fundatur supra potestatem consecrandi. Unde, hac deficiente, deficit & alia. Ideo si cui Episcopus applicaret materiam, & formam, quibus tribuitur potestas absolvendi, quin prius traderet materiam, & formam, quibus datur potestas consecrandi, non sufficeret hanc postea supplere; sed utramque deberet de novo conferre. Et contra vero, si tradita prima potestate consecrandi, omissa fuisset manuum impositio cum sua forma, sufficeret eam supplere. Munia igitur Sacerdotis sunt consecrare corpus, & Sanguinem Christi; item fideles a peccatis absolvere, vel ligare cum approbatione Episcopi. Item solemniter baptizare ex consensu Parochi. Item ex ejusdem consensu ministrare alia sacramenta praeter ordinem, & confirmationem: ac denique benedicere populum simplici benedictione in Missa. Benedictione inquam, *simplici*, non terna, ut usque ad tempora Pii V. & Clem. VIII. etiam sacerdos simplex, juxta Merati, dare consueverat.

67. Inq. 7. An sit de fide omnes ordines esse sacramenta? R. Esse de fide, quod Sacerdotium est sacramentum. Diaconatum esse sacramentum est proximum fidei, quia in novo testamento saepe fit mentio de Diaconatu: non vero adeo clare de reliquis ordinibus. De Subdiaconatu aliqui negant esse sacramentum. Plures idem tenent de ordinibus minoribus; sed communis sententia docet esse sacramenta, non tamen tamquam de fide, nisi Sacerdotium tantum.

68. Inq. 8. Quid sit Episcopatus? R. Esse complementum Sacerdotii verumque ordinem, indistinctum tamen realiter entitative ab ipso Sacerdotio. Solum quippe differt ab eo in ampliori potestate, quae supra caeteros Sacerdotes eminet. Qua ratione vocatur *Episcopus*; idest *super intendens*, seu *speculator*. Olim omnes Pres-

byteri dicebantur Episcopi; usus tamen obtinuit, ut majores Sacerdotes appellentur Episcopi. Item *Antistites*, hoc est, presidentes aliis clericis, seu ante illos stantes. Item *Pontifices*, vel quia praer aliis valent plura munera exercere, vel quia sunt tamquam *pons* inter Deum, & populum. Episcopatus igitur est supremus ordo Ecclesiae. Papatus enim non est ordo, sed suprema Ecclesiae dignitas, supponens omnes ordines. Papa idem est ac *Pater patriae*. Olim omnes Episcopi sic vocabantur; sed nunc solus Pontifex Papa nominatur. Presbyter graece, idem, ac *Princeps patrum*.

69. Inq. 9. An consecratio Episcopi necessario debeat fieri a tribus Episcopis? R. Debere fieri a tribus ex praecipuo Ecclesiae. At posse fieri valide a duobus, & in regionibus valde remotis, urgente necessitate, etiam ab uno solo; quia licet in Pontificali romano tres exigantur, unus tamen dicitur consecrator, alii vero assistentes: & merito, quia, esto congruat, quod alii duo adsint pro solemnitate tanti ordinis, unus solus potest applicare ejus materiam, & formam: erg, sicut unus Episcopus confert valide, etiam solus, alios ordines, licet pro solemnitate alii Sacerdotes semper debeant assistere; ita dicendum de Episcopatus collatione, quantum ad validum; & ex commissione Papae cum causa, aut sine commissione expressa, urgente tamen necessitate, etiam quantum ad licitum. Nec ambigi valet primis Ecclesiae temporibus ita fuisse peractum. Primus, qui decrevit assistentiam trium Episcoporum in consecratione Episcopi, fuit Anacletus Papa. Vid. Benedictum XIV. in Syn. lib. 13. cap. 13. a. num. 4.

## PUNCTUM IV.

## De obligationibus ordinatorum.

70. Inq. 1. Quae, & quot sint obligationes ordines suscipientium? R. Esse plures, quia, *cui multum datum est, multum quaeretur ab eo*. Cum igitur dignitas ordinis sit adeo excellens, nequeunt non ei respondere plures obligationes. Omnes designare non permittit brevitatis hujus operis; ideo aliquas tantum communiores innuemus. Sed ante omnia clerici suae vo-

ca-

cationi respondere debent, agnoscendo esse voluntarie mancipatos Dei obsequio, cultui, & servitio. Sunt enim a reliquo populo segregati, & in sortem Domini peculiariter vocati. Unde debent a sæcularibus curis, negotiationibus, & commerciis abstinere: spectacula, theatra, ludos vitiosos, ac venationes clamorosas vitare; foeminarum familiaritatem, ac matronarum committatum, qui suum statum deturpare possunt, pœnitentia fugere. Devotæ lectioni, meditationi, & studio frequenter vacare, ac suæ Ecclesiæ fideliter inservire. Ut sic probitate vitæ, ac morum honestate cæteris sint stimulus virtutis, & norma vivendi. Quibus suppositis, tres sunt præcipue obligationes clericorum: nempe deferre habitum clericalem, & tonsuram, servare castitatem, & recitare divinum officium.

71. Inq. 2. An clerici teneantur sub gravi habitum clericalem, & tonsuram deferre. R. affirm. Ita sepe jubetur a Tridentino, & aliis decretis conciliaribus, ac pontificiis. Alius est habitus clericalis usualis, aut communis; alius choralis, aut solemnus. De hoc non est sermo, sed de primo. Igitur habitus clericalis est vestis propria clericorum nigri coloris, & talaris; quæ a quodam concilio Toletano appellatur *supernicalis*, vel *tabardus*, hunc deferre debent regulariter clerici sub gravi; ita ut, si eo dimisso, aut occultato, larvati in publicum prodeant, graviter peccent. Pariter qui tonsuram non portant; est enim nobilis tessera, per quam clerici a sæcularibus discernuntur. Unde qui habitum clericalem ad formam laicalis, comasque ciincinnatas, crispatas, aut pulvere aspersas deferunt, ita ut tonsura, imo & figura clerici vix appareat, privati debent beneficiis Ecclesiasticis, & arceri a ministro clericali, ut gravissime disponit Trid. sess. 14. cap. 6. Vide Bened XIV. lib. 11. cap. 8. in Synod.

72. Hic obiter laudare non desinam honestatem, gravitatem, ac circumspectionem cleri Hispaniæ. Ibi enim generaliter loquendo nullus Ecclesiasticus in publicum prodit, nisi veste propria clericali indutus, & tonsura insignitus. Ita ut, si aliquis coma longa, aut crispata, aut pulvere conspersa incederet, velut novum monstrum insanum, stultum, vel amen-

tem horrerent, despicerent, & irriderent. Utinam eorum laudabile exemplum omnes clerici ubique sequantur! Idem cerat in religiosis, qui in Hispania præ aliis regionibus exemplariter incedunt: modestiam, & honestatem præferentes a planta pedis usque ad verticem, seu coronam capitis.

73. Inq. 3. An ex jure divino, vel solum ecclesiastico debeant ordinati in sacris continentiam servare? Affirmant aliqui hanc obligationem esse de jure divino; sed communis sententia tenet esse tantum de jure ecclesiastico, quatenus Ecclesia præscribit ordinatis in sacris emitte votum castitatis. Unde obligatio servandæ castitatis non provenit *immediate* ab ordine sacro, aut lege Ecclesiæ, sed *mediate*, hoc est, mediante voto, quod ordinati in sacris explicite, vel implicite emittunt in ipsa Subdiaconatus susceptione. Quod non sit ex jure divino patet: quia Ecclesia pluries indulget ordinatis in sacris uxorem ducere: erg. non ex jure divino oritur talis obligatio; alias semper invariata fuisset observata ab Ecclesia. Quod autem non immediate a lege Ecclesiæ, sed mediante voto proveniat, probatur; quia alias posset Pontifex sine speciali causa in hac obligatione dispensare, saltem valide, quod ab omnibus negatur: erg. quia provenit ex voto, & non a sola lege Ecclesiæ.

74. Inq. 4. Ad quid obligetur Subdiaconus in sua ordinatione? R. Obligari ad emitendum votum castitatis, & ad recitandum officium divinum. Si Subdiaconus ignoraret has obligationes, adhuc illis adstringeretur, quia qui vult principale, accessorium velle præsumitur. Ideo tunc casus eo ipso quod sponte ordinatur, emittit implicite castitatis votum, & amplectitur obligationem recitandi. Votum hoc solemne est, quia simul cum ordine sacro statum constituit.

75. Inq. 5. Quid dicendum de suscipiente Subdiaconatum expresse volens votum castitatis elicere? R. Hunc peccare graviter contra præceptum Ecclesiæ, & semper manere in peccato, quamdiu votum non emittit. Verum non committet sacrilegium, si castitatem violaret. Fa-teor hanc esse communem sententiam: mihi tamen suadere non valeo Subdiaconum adhuc præcisive a voto delinquentem

in materia venerea non committere gravius peccatum laico, aut non esse violatorem ordinis sacri. Unde dico ordinatum in sacris esse personam sacram, committereque quamdam speciem sacrilegii, dum peccat contra castitatem, etiam præcisive a voto. Si enim fornicari v. g. in Ecclesia est sacrilegium contra reverentiam, & puritatem loci sacri præcisive a voto; cur idem peccatum non erit sacrilegium in quolibet initiato in sacris contra reverentiam ordinis sacri, & puritatem personæ sacre? Quare assero quod licet ex voto amplius confirmetur obligatio ad castitatem in Subdiacono, ita ut nec a Papa possit dispensari sine gravissima causa; tamen ex vi ordinis sacri tenetur in Ecclesia latina ad castitatem, qui ordinatur in sacris adhuc præcisive a voto. Ideoque si eam violaret, deberet suum statum exprimeri in confessione. Esset enim in tali peccato saltem circumstantia varians iudicium Confessarii.

76. Inq. 6. An Subdiaconus volens emitte castitatis votum, possit valide contrahere matrimonium? R. neg. Quia adest lex ecclesiastica annullans matrimonium initiati in sacris, etiam præcisive a voto. Ecclesia græca permittit uxoris ordinari in sacris, & retinere uxores; non vero ordinatis in sacris uxorem ducere. Unde nusquam permittitur Subdiaconis contrahere matrimonium. Differt tamen ordo sacer a professione religiosa in eo, quod hæc dirimit matrimonium ratum, etiam antecedens; ordo vero sacer solum dirimit matrimonium subsequens. D. Gregorius indulget Subdiaconis Siciliæ permanere cum uxoribus, quas ante ordinem Subdiaconatus duxerant. Sed decrevit ne in posterum quis Subdiaconus ordinaretur, nisi perpetuo castitatem profiteri vellet. Quod subinde severius fuit statutum; & in concilio Claramontano sancitum sub Urbano II.

77. Inq. 7. An qui ex metu ordinaretur in sacris, teneretur votum castitatis emitte? R. neg. Quia votum expressum ex metu extortum nullum est: erg. etiam implicitum consistens in obligatione servandæ castitatem, vel emittendi votum. Idem est de parvulis ordinatis in sacris, ut fit apud Coptos in Ecclesia orientali, qui nisi ratificent statum clericalem, com-

pleto anno sextodecimo, non manent voto adstricti. Idem pariter est de obligatione recitandi officium divinum, ad quod non tenentur, seclusa ratificatione ordinis suscepti, parvuli Copti; nec ordinati ex metu: quidquid in oppositum asserat, tum de voto castitatis, tum de officio divino, agens de horis canonicis Concina; sed plane fallitur, ut patet ex decreto Bened. XIV. *Eo quavis*, ubi utrumque dubium juxta nostram doctrinam resolvit. Vide in Synod. lib. 12. cap. 4. num. 2. Oppositum est tenendum de baptizato ex metu gravi, qui obligatur ad observanda præcepta divina, & ecclesiastica, ut habetur in cap. *Majores*, de baptismo, juxta decret Innoc. III.

## PUNCTUM V.

## De privilegiis ordinatorum.

78. Inq. 1. Quæ, & quot sint privilegia ordinatorum? R. Esse plurima tum spiritualia, tum temporalia. Verum in præsentem solum de temporalibus est sermo. Igitur tria sunt præcipua privilegia clericorum, in quibus plura comprehenduntur. Primum dicitur *immunitas ecclesiastica*, quoad templa, & loca sacra, de quo mox traët. 39. Secundum dicitur privilegium *canonis*, de quo agemus in traët. de censur. Tertium est privilegium *fori*, seu exemptionis clericorum a potestate sæculari, quoad suas personas, causas, & bona, eximendo ea a tributis, & gabelis.

79. Inq. 3. An jure divino personæ ecclesiasticæ sint exemptæ a potestate sæculari? R. 1. Quod circa res spirituales, & causas mere ecclesiasticas jure divino sunt exemptæ. Quoniam jure divino datur in Ecclesia potestas immediate concessa a Christo Domino, quantum ad res spirituales, & causas mere ecclesiasticas, dum Petro dixit: *Tibi dabo claves regni caelorum*. Matth. 16. *Pasce oves meas*. Joann. ult.

80. Unde differentia inter personas ecclesiasticas, & laicas est de jure divino; quod fatentur etiam ipsi hæretici minus pertinaces, & solum negatur ab aliis, majori furore, pertinacia, & ignorantia præoccupatis, seu arreptis, qui inepte dicunt hanc differentiam nihil aliud esse, quam primum lapidem positum a Pontificibus ad erigendum edificium suæ potestatis.



tatis. Sed hic est error adeo manifestus, quod improbat etiam ab ipsis sectariis minus furiosis, ut jam diximus. Sic fatentur distinctiōnem hanc hierarchicam venire constanti traditione a Patribus Apostolicis, Bingham, *Orig. Eccl. lib. 1. cap. 5.* & Dodvel *ad Cyprian. dissert. 1.*

81. R. 2. Quod exemptio clericorum a potestate seculari quoad suas personas, causas, & bona non est de jure divino; quia non adest textus sacer id concedens. Imo potius sunt plures textus præcipientes omnibus indiscriminatum obedire Principibus secularibus etiam discolis, & gentilibus. Ratio id ipsum suadet: quia nullus ex eo, quod fiat clericus, aut religiosus, desinit esse civis, & pars Reipublicæ: erg. subicitur Superiori legitimo Reipublicæ, & ei obedire tenetur jure naturali, & divino. Nec hoc in dubium verti fas est.

82. R. 3. Exemptionem clericorum a potestate seculari esse de jure humano consentaneo juri naturali, & divino. Hoc est, procedere ex benignitate, & privilegio Principum; quod quidem privilegium est valde consonum rationi, & juri divino. Hoc privilegium constat ex jure civili, & canonico. Quod autem consonet juri divino, & equitati naturali patet: quia dignitas status clericalis, per quam peculiariter clerici sunt Deo mancipati, & consecrati, exigit aliter tractare clericos, ac sæculares. Præterea ecclesiastici sunt Pastores, Patresque spirituales sæcularium, & loco Dei Judices eorum in causis ad salutem æternam spectantibus: erg. rationi consonat, quod non judicentur, incarcerationentur, aut puniantur a sæcularibus.

83. Objic. Pilatus habuit potestatem in Christum juxta illud Joan. 19. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper:* erg. multo magis omnis clericus poterit puniri a magistratu seculari. R. Christum nullo modo fuisse Pilato, nec alteri homini subiectum, cum esset omnium Princeps, & Dominus. Habuit tamen Pilatus in eum potestatem usurpatam, & potestatem tenebrarum, permissam desuper. Voluit namque, & permisit propter nostram salutem a Pilato injuste judicari, & a Judæis injustissime crucifigi.

84. Inq. 3. An dentur casus in quibus

Princeps sæcularis-clericos pœnis coercere, aut a suo regno expellere possit? R. affirm. Si enim clerici in manifestam reipublicæ perniciem populos commoverent, pacemque regni turbarent, aut contra proprium Principem cives armarent, nec a suis Superioribus coercerentur, nec adesset alia via servandi communem tranquillitatem, possent a Principe coerceri, aut a regno expelli; quia dicta exemptio non derogat juri naturali publicæ pacis, quæ omni privilegio præferri debet.

85. Inq. 4. In quo consistat privilegium exemptionis clericorum, quoad sua bona? R. Consistere in eo, quod sint libera a novis tributis imponendis, non solum bona ecclesiastica, sed etiam patrimonialia. Verum onera, quibus bona patrimonialia, seu prophana, antequam a clerico possiderentur, gravata erant, præstari debent ab eo. Supra bona igitur a clericis possessa, nequeunt nova tributa imponi absque consensu Pontificis, & pro causa communi. Ex indulto autem Papæ possunt subsidia ex bonis clericorum quantumvis ecclesiasticis exigi a Principe seculari. Quod ex pietate christianorum Principum libera sint bona ecclesiasticorum est conforme lumini naturali. Unde Artaxerxes licet Rex Gentilis Arcæ publicæ custodibus præcepit. *De universis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Fanitoribus Nabinais, & Ministris Domus Dei butus, ut vestigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. 1. Esdræ 7.*

86. Inq. 5. Quid concedat clericis exemptio quoad suas causas? R. Concedere ne clerici accusari, conveniri, aut judicari possint apud Judicem sæcularem, sed apud ecclesiasticum. Hic enim est Judex legitimus clericorum. An autem causæ ecclesiasticorum adduci possint de tribunali ecclesiastico ad Judices sæculares per viam violentiæ, vulgo *por la fuerza*, ut fit in Hispania? Dissident AA. Supponunt omnes non posse Judices sæculares cognoscere de illis per viam jurisdictionis, quia illa carent in clericis, & eorum causas. Quæstio solum est de appellatione, aut defensione, ut dicunt, declarando, an fiat violentia a Judice ecclesiastico? R. Quod quando violentia, aut injustitia est notoria, nec alio modo valet pars aperte læsa eam

eam repellere, nec se defendere, poterit caute debita moderatione appellare ad Regem, aut ejus Magistratum pro sua defensione; quia hæc est de jure naturali. Aliter tamen minime licet dicta appellatio. Appellare enim non servato ordine juris, aut ad Judicem non legitimum, illicitum est. Hoc enim displicet piis Regibus, & Magistratibus, qui publicæ paci, & tranquillitati invigilant.

87. Objicies: Paulus in sua causa ad Cæsarem appellavit *Act. 25.* erg. licitum est etiam clerico appellare ad Regem, vel ad ejus Tribunal. R. Apostolum ad Cæsarem appellasse de manifesta injustitia, & violentia, a qua nequibat se alia via defendere, nec liberare. Sic autem licere jam dictum est. Væ autem illis, qui ne parent Episcopis, justa præcipientibus, aut ne apud ipsos compareant, recurrunt ad tribunal sæculare passim sine justa causa.

88. Inq. 6. An præmissis clericorum privilegiis gaudeant ordinati in minoribus, si matrimonium contrahant? R. neg. Quia

non vult Ecclesiæ, nec concedit, ut quis solutus ab obligatione continentiæ, & Deo se arctius mancipandi, volensque vacare conjugio, simul suis privilegiis potiatur. Nam, *qui sentit commodum, debet sentire incommodum, De reg. juris. in 6.* Episcopus autem, qui conjugatum tonsuraret, vel tonsuratum ante matrimonium eo durante, ad minores ordines admitteret, pœnam suspensionis a collatione eorum per annum incurreret, ut habetur *in cap. ultimo, de tempor. ordin. in 6.*

89. Aliud est de viro, qui, supposito divortio legitimo, ordines etiam sacros vellet recipere; tunc enim in sententia probabiliori potest id licite facere, etiam nescia, aut invita uxore, quando hæc dedit causam divortii. Tunc igitur gauderet omnibus privilegiis clericalibus, quamvis vere esset conjugatus. Idem est, si vir ex licentia expressa uxoris recipiat ordines sacros. Tunc autem uxor, etiam mortuo viro, non posset alteri nubere, quia aperte id ei vetatur ab Ecclesiâ *cap. quia sunt, & alibi.*

## TRACTATUS TRIGESIMUS PRIMUS

### DE HORIS CANONICIS.

#### PUNCTUM I.

##### De natura, & præcepto divini officii.

1. Inq. 1. Quid sit officium divinum? R. Est *Quædam formula mente, & voce laudandi, precandique Deum auctoritate Ecclesiæ instituta.* Potest esse publica, seu communis, & privata, seu particularis. Prima est, quæ fit a communitate ad laudandum, precandumve congregata. Secunda, quæ fit privatim, seu extra communitatem. Dicitur *officium:* quia laudare, & præcari Deum est officium proprium clericorum, & Monachorum. *Divinum:* quia ex Psalmis, & aliis verbis sacræ Scripturæ ut plurimum est compositum. Vocatur etiam *horæ canonicæ* eo, quod certis horis juxta canonicas sanctiones est recitandum. Appellatur denique *pensum:* quia ad illud, tanquam ad tributum Deo solvendum, clerici adstringuntur.